

MAXIMILIANVS I. CAE S A R.



M

MAXIMILIANVS filius fuit Friderici Imperatoris, & Leonoræ Eduardi regis Portugalliae filiæ. natus est in Noua ciuitate Austriae 12 Maij, Anno 1459. Cui pater nomen antiquissimi martyris Maximiliani imposuit, qui sub Caro & Numeriano Cæs. apud Laureacū diuini uerbi preco extitit, atq; in Norico Ripensi anno 289 occisus fuit. Ea enim nocte qua cōceptus erat in urbe Celeia Vngarorum, uisus est sibi Fridericus ab illius loci martyre admoneri, ut sibi ab imminenti periculo caueret. Hunc itaq; filium suum parentes bonis literis instituere decreuerunt, ut qui in spem multorum regnum alebatur. Verūm is ab infantia magna difficultate uerba enunciabat, ut plerisq; ferè mutus uideatur. Sed quantum ei loquendi facultas in pueritia molesta fuit, ita in ætate perfecta eius facundia omnibus domesticis & externis hominibus admirabilis extitit. Nam præter linguam uernaculam loquebatur Latinè, Gallice, & Italice eleganter, ita ut Oratores externorum regum non satis eius rei gratia admirari potuerint. præterea in Imperij comitijs sæpe sine interprete cū principibus atq; externis legatis de rebus arduis longas easq; artificiosas orationes habuit, ita ut multis omnia ex arte agere uideretur, cum tamen hanc eloquentiam ei sola natura concesserit.